

S. Petri : « Fratres, sobrii estote et vigilate ; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, querens quem devoret. » Vespere enim sollicitat homines ad crapulam, venerem, rixas, cædes ; unde Poeta :

Nos et amor, vinumque nihil moderate suadent :
Illa pudore caret, Liber amorque metu.

Accedit, quod diabolus sæpe in lupum se et magos suos transformet ; tales enim sunt lycanthropi, puta homines qui per magicam ope demonis se in speciem, æque ac ferociam luporum transmutant, ovesque et homines invadunt et dilaniant, de quibus multa Delrio in *Magiis*. Inde et Gentiles per lupos contra veneficia remedia præstari opinati sunt. Unde Plinius lib. XXVIII, cap. x : « Veneficis, ait, rostrum lupi inveteratum resistere aiunt, ob idque villarum portis præfigunt. Hoc idem præstare et pellis e cervice solida existimatur ; quippe tanta est vis animalis, præter ea quæ retulimus, ut vestigia ejus calcata equis afferant torporem. » Hinc et lupos hominem raucum vel elinguem reddere vulgo creditur, si primus eum inspicatur. Unde illud Virgillii *æcol.* ix :

Vox quaque Marini
Jam fugit ipsa ; lupi Marini videre priores.

Ubi id clare docet Servius, et Isidorus lib. XII *Orig.* cap. ii, qui et addit : « Unde et subito tacenti dicitur : Lupus in fabula. Certe si se prius visum senserit, deponet feritatis audaciam. » Et Plinius lib. VIII, cap. xxii : « In Italia quoque creditur, ait, luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplantur, adimere ad presens. » Sic diabolus fauces peccatori, injecto pudore metuque claudit, ne peccatori confiteatur, et veniam, openve, aut consilium mali sui querat. Insuper diabolus, instar hyæne et lupi, cadaveribus et mortibus hominum pascur ; canibus, id est prædicatoribus, insidiatur, ut his eversis vel amotis, oves diripiatur. Hinc et corum voces imitatur, dum se transfiguratur in angelum lucis. Multos enim sapientes decipit specie boni, qua suas fraudes obtegit. Lupi ergo vespertini tropologie sunt demones, ait S. Hieronymus. Item rapaces prælati et iudices. Adhæc heretici : hos enim lupo comparat Christus *Matth.* vii, 45, qui ovium pellibus induti incantatos decipiunt, et specie veri, tenebras offundunt. Hinc et sub vesperam suos cœtus celebrare solent. Heretici enim quasi lupi famelici et hiantes cantus Ecclesie circumseunt, ut fideles ex his avellant et perdat, atque Arabum more latrocinii et cædibus Catholicorum ditones et regna depopulantur, uti nostro ævo in Anglia, Scotia, Hollandia, Francia, Hungaria, etc., eos factitasse vidimus.

VOLABUNT QUASI AQUILA, — que rapax et ferox, ex alto in leporem aliamve prædam festina invo-

lat cum impetu « instar tormenti, » id est hombarde, dum globum ejaculatur, ait Isidorus lib. XII, cap. vii. Alludit ad aquilas, quas Chaldei in vexillis præferant, æque ac postea Romani : unde signifer aciei erat et vocabatur aquilifer. Audi Ovidium lib. *N. Pastor.* :

Signa decus belli Partibus Romana tenebat,
Romanaque aquile signifer hostis erat.

Et Lucanus lib. I :

Ut nota falsere aquila, Romanaque signa.

Hinc Ezechiel cap. ix, et Jeremias sæpe Nabuchodonosorem et Chaldeos vocant aquilas. Nota : In partibus Chaldeorum indicat sævitiam, in lupis voracitatem, in aquilis rapacitatem. Quocirca eodem Jeremias, cap. v, vers. 6, comparat leoni, pardo et lupo. « Idecirco, inquit, percussit eos (Judæos) leo de silva, lupo ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum. »

Porro apposite equites et equos Chaldeorum comparat pardo, lupo, aquilis ; quia equi bellici pernicitate veloces sunt, et animositate feroces, vincendi consuetudine ferociores evadunt ; gaudent sanguine effuso, ac lituis tubisque auditis exsultant, ut ait Job cap. xxxix, 21, et Virgilius lib. III *Georg.* :

Si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, et tremat artus,
Collectamque premens volvit sub naribus ignem.

Additque cæteris præstare equos Chaldeorum :

Armeni Siculis, Partique Euphratis ad undas
Præstant.

Idem clarior docet Oppianus, dicens :

Qui habitant virides Euphratis ad undas
Mæganinis aluntur equis in bella leonum.
Lumina glauca vibrant, et magnum in pectore robur
Effert audaces animos ad fervida bella.
Accellit levitas cursus, quodque ora leonis
Intrepidè perferre valent, vocæque superbas :
Cum reliqui fremitus nequeant tolerare minaces.

9. OMNES AD PRÆDAM VENIENT. — Tigurina : Vers. 9.

Quisquis eorum ad hoc venit, ut vim inferat ; Vatablus : Omnes venient ad rapinam, ut scilicet Judæos expilent ; Pagninus : *Tota gens propter rapinam venit.*

Moraliter S. Augustinus in *Psal.* cxxiii : « Ideo, inquit, querit te raptor major, quia invenit minorem : ideo te querit major aquila, quia prior cepisti leporem : præda tibi fuit minor, præda eris majori. »

FACIES EORUM VENTUS URENS. — Intellige notam similitudinis sicut, vel instar, q. d. Chaldei instar venti urentis, vel auruginis omnia arefacient et vastabunt. Pagninus vertit : *En adverso facterum suarum venient ad Orientem ; Chaldeis : Aspectus eorum persimilis est vento vehementi, qui colligit*

quasi arenam captivitatem ; Tigurina : *Quidquid faciebatur eorum obicitur flaccidum fit, ut si uredo exussisset ; Vatablus : Aspectus, vel oppositio facierum eorum erit tanquam ventus Orientalis.* Hic ventus in Terra sancta est vehementissimus. Sensus est, q. d. Impressio Chaldeorum adventantium erit intolerabilis, ut in Judæa est ventus Orientalis. Sic Gonuæ, et in nonnullis Italiae locis procellosus est ventus turbinis, qui a Grecis vocatur enecephias, quod e nube erumpat ; adeo ut stabula cum equis in altum elevet, transferat, elidat, uti mihi Romæ viri graves oculati testes affirmarunt.

ET CONGREGABIT QUASI ARENAM, CAPTIVITATEM, — quasi dicat : Sicut ventus in Judæa congregat arenas, sic Chaldei ex eadem congregabunt captivos. Ita Chaldeus et Tigurina. Innuat plurimos fore captivos, uti plurima est arena. Est metonymia ; nam abstractum ponitur pro concreto, captivitas pro captivis. Sic Christus ascendens cum triumpho in celum, dicitur captivam duxisse captivitatem, id est captivos duxisse sanctos, quos e captivitate diaboli erutos, suos fecit, meliori jam sorte captivos, utpote qua eos in libertatem filiorum Dei asseruit, *Ephes.* iv, 8. Nota : De Chaldeis nunc loquitur in plurali, dicens : *diffundentur, volabunt, venient ;* nunc in singulari, dicens : *congregabit, triumphabit, comportabit,* intelligens exercitum, vel certe ducem regemque eorum, puta Nabuchodonosorem. Hæc omnia tropologie facile est adaptare diabolo, cuius minister et flagellum fuit Nabuchodonosor : ipse enim sævit ut pardus, lupo et aquila, plurimosque capit, et in abyssum demergit ludens et ridens.

10. ET IPSE, — scilicet Nabuchodonosor, gentis Chaldæe princeps. Nota : Scriptura mixtim nunc de gente, nunc de ejus principe loquitur. Hæc enim politica sunt unum, puta unus exercitus, unum imperium, quod totum pendet a suo principe, sicut totum corpus pendet a capite. Hoc verum est in bellis, ubi victoria causa est animosus, vigil et sagax imperator. Unde celebre est illud : « Fortior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. »

TYRANNI RIDICULI EIUS ERUNT, q. d. — Reges et principes Iudibrio habebit Nabuchodonosor, faciet eos suos moriones, equiones, imo scabellia pedum ; uti Sapore fecit Aureliano Cæsari, et Tamberlanes Bajazeti Turcarum imperatori. Ita S. Hieronymus. *Secundo*, « ridiculi, » vel, ut hebraice, *risus ejus erunt* : quia ipse potentissimus deridebit eorum arma et copias. Unde explicans subdit :

IPSE SUPER OMNEM MUNITIONEM RIDEBIT, — q. d. Ipse munitiones quasvis despiciet, quasi ridens et ludens eas expugnabit. Ita Theodoretus, Vatablus et Arias. Significanter vertunt Septuaginta : *Tyranni erunt ejus matronæ*, id est ludibria, quomodo Nero imperator prælio victus dixit : « Dei

ludibrium est homo. » Syrus et Arabicus : *Ipse reges deridebit, et principes subsannabit.*

COMPORTABIT AGGEREM, ET CAPIET RAM. — Agger dicitur aggerata, id est congesa terra, juxta illud Virgillii *Æneid.* IX : « Et fossas aggere complent. » Ubi Servius : « Agger, ait, est conjulibet rei coærcatio, unde fossæ aut valles repleri possunt. » Significat Habacuc maxime aggerem, quem per tredecim annos comportarunt Chaldei circa Tyrum, ut mare, quod illam cingebat, implerent, itaque ex insula facerent continentem, quam pedibus invadere et expugnare possent, uti tandem fecerunt, de quo dixi *Ezech.* xxxix, 18. Rursum solent duces, cum metantur castra, ea cingere et munire contra insultus hostium aggere, id est vallo et fossa instar civitatis. Unde Virgilius lib. VII *Æneid.* :

Primumque in litore sedes
Castrorum in morem pinis alique aggere cingit.

Insuper solent per aggeres obsidere et oppugnare urbes. Unde Gioero epist. ad *Calonem*, lib. XIII : « Vallo et fossa circumdedit : sex castellis castrisque maximis sepsi : aggere, vineis, turribus oppugnavi. » Sic Virgilius VI *Æneid.*, Alpes vocat aggeres, id est muros et munimenta, Italiae. Hebraice pro aggerem est *אפר* *aphar*, id est pulverem, quod Christophorus a Castro sic exponit, q. d. Nabuchodonosor faciet altissimos aggeres ex pulvere, ut ejus inspersio, flatu oppositi venti facta, oculos, nares et fauces repugnantium confundat et enecet ; qua arte Sertorium expugnasse Charatinos, narrat Plutarchus in ejus Vita. Quocirca axioma est bellicum : « duci captandum esse solem et ventum, » ut utrumque habeat sibi secundum, et hosti adversum. Verum nostra versio melior est, et communem castrorum aggerem significat : hic enim fit e terra, pulvere, saxis, lignis omnique re. Adde, Hebræos *aphar*, id est pulverem, vocare quamlibet terram. Unde Adam dicitur factus e pulvere, id est e terra, juxta illud *Genes.* iii, 19 : « Pulvis es, et in pulverem reverteris. »

11. TUNC MUTABITUR SPIRITUS, — q. d. Nabuchodonosor, elatus tot victoriis, se non capiet, sed non capiet, spiritus alios sumet, putans se esse nunquam quodam invidium, ideoque adorari volet in statua aurea quam eriget, et omnes adorare compellet, *Daniel.* iii, 1. Quocirca, Deo ulciscente, mutabitur spiritus ejus humanus in belluinum, ut ex homine fiat quasi bos, ideoque regno expellatur, transeat et corruat, ac quasi quadrupes in silvis cum feris vitam agat, *Daniel.* iv, 30. Ita S. Hieronymus, Albertus et Lyranus. Simili modo ob tot victorias, tantumque monarchiam, mutabitur spiritus gentis Chaldæe in superbiam et fastum, ideoque pertransibit ejus imperium, et corruet in Balthasare, excindendum a Cyro et Persis, inquit Arias et Vatablus. Unde Chaldeus venit : *Propter elationem spiritus ejus translatus est reg-*

mm; aliter Septuaginta: *Tunc mutabit spiritum, et pertransiet, et propitiabitur: Hæc est fortitudo Dei mei.* Quod Theodoretus sic explicat, *g. d.* Cum Deus sat castigaverit Judeos per Chaldaeos, tunc ira commutabit in misericordiam, ac misericors erit, et acerbitates leniet, scilicet cum Cyrum liberatorem adducet, qui robur invictum, indeque victorias præclarissimas dabit.

Et corrumpit. — Hebraice אָסַם *ascam*, id est primo, delinquet; secundo, delictum expiabit, per metonymiam, qua delictum et peccatum in Levitico, sæpe significat hostiam pro peccato: unde Septuaginta vertunt, *propitiabitur; tertio, אָסַם ascam*, hebraice sæpe ponitur pro vicino אָסַם *ascam*, id est deficere, desolari, corrumpere: cognata enim sunt culpa et poena, sive delictum et desolatio: hæc enim individuus illius est comes, perinde ut carnifex est rei, quem ducit ad supplicium; unde Noster recte cum Aquila et Symmacho, *pro delinquet vertit, deficit, corrumpit*, præsertim quia defectus et ruina est delictum et peccatum, non moris et vitii, sed nature. Ex tribus hæc significatis triplex hic oritur versio et interpretatio. Primo enim Chaldaeus verit: *Delinquit et peccavit, eo quod multiplicavit gloriam Deo suo; quia scilicet impense coluit suos deos, non Deum verum. Secundo, Septuaginta: Tunc mutabit spiritum, et pertransiet, et propitiabitur: hæc est fortitudo Dei mei, g. d.* ait S. Hieronymus: Deus, ultione Judeorum per Chaldaeos peracta, mutabit spiritum iræ in spiritum misericordiae: unde pertransibit eos, nec ulterius puniet, sed sat punitis propitiabitur. Tertio, optime Noster verit, « et deficit, » vel corrumpit, juxta sensum paulo ante assignatum. Sic enim *ascam*, id est delinquere, sæpe significat deficere; ut: « Et non delinquent, » id est non deficient, « omnes qui sperant in eo, » *Psalm. xxxiii, 23.* Simile est *Ezech. vi, 6*, in Hebreo, *Joelis i, 18*, et alibi.

Hæc est fortitudo eius dei sui, — quam scilicet jactat esse dei sui, quam deo suo acceptam referit, *g. d.* Tam inbellis, modica et brevis est fortitudo, victorias et triumphus Nabuchodonosoris, quos ipse deo suo, puta Belo, adscribit. Nam, ut paulo ante dixi, hæc omnis illico in Balthasare corrumpit, occidente eum Cyro. Est ironia et sarcasmus, sive hostilis irrisio. Aliter a Castro, *g. d.* Nabuchodonosor victoris elatus superbiat, et in scelus corrumpit, ut veri Dei oblitus, tribuat virtuti dei sui Beli partas victorias. Septuaginta vertunt: *Hæc est fortitudo Deo meo, quod sic explicat Theodoretus: Propheta, inquit, obstupescens ad Dei misericordiam, ex ira commutatum in Cyro liberatore Judeorum, exclamat: Hæc est fortitudo Dei mei. Tibi soli, Domine, adest potestas et puniendi pro arbitrio, et commutandi ultionem in misericordiam. Verum Hebræa habent, dei ejus, et Chaldaeus, idoli sui. Quare nostra versio et explicatio est germanior. Unde et Syrus verit: *Devincetur virtus ejus cum Deo suo; Arabicus: Ob-**

diet virtus ejus Deo, non suo ficto, sed vero Israelis.

12. NUMQUID NON TU A PRINCIPIO, DOMINE? — Propheta post prophetiam de Chaldaeorum robore et tyrannide, ac Judeorum per eos excidio, hic de eo dolens et ingemiscens, convertit se ad orationem, Deumque obsecrat ut tantam Judeorum stragem averiat, nec sinat minas hæc impleri, sed populo suo miseretur et pareat, *g. d.* Tu, Domine, es Deus noster, tu sancte a nobis coleris in sancto templo tuo. Tu es sanctus ille noster antiquus, qui patres nostros dilexisti, et elegisti semen eorum post eos. Tu es qui sanctum foedus cum ipsis inivisti, sanqueque promissisti te fore eorum et posteriorum Deum. Tu nos tibi in populum sanctificasti, et ab aliis gentibus infidelibus et impiis, quasi tum peculium segregasti, nosque sancta tua lege, prophetis, sacrificiis, miraculis, beneficiisque plurimis decorasti, ac tibi et tue sanctitati arctissime obstrinxisti: non ergo patieris nos ab impiis Chaldaeis vastari: quare te, uti speramus et obsecramus, tutante, « non moriemur, » ut illi minantur. Aliter Joannes Alba *Electorum* cap. lxxv: « Numquid non tu a principio? » A ponitur, inquit, pro ante, *g. d.* Tu es ante omne rerum principium, tu es æternus. Et quia æternum Hebræis significat quod magnum est in genere suo, hinc esse a principio, vel esse æternum significat esse potentissimum. Potest et æternum, accipi pro misericordie, *g. d.* Numquid non, o Domine, tu es summa potens et misericors? Utique. Ostende ergo in nos miseros et pene consumptos tuam omnipotentiam et misericordiam, quam semper a principio hucusque in nos et patres nostros ostendisti. Hæc Alba, qui et addit: sic et sanctus magnum, regem potentemque significat; et sanctum, id quod magnum est et excellens.

Nota primo: Dicit, *non moriemur*, assertive, non autem, *non moriamur*, optative, esto idipsum obsecrat; ad efficaciam orationis, ut scilicet certam spem, et quasi fidem non moriendi significet, eaque constringat Deum, ne eos mori sinat. Quis enim speravit in Deum, et confusus est? Nam, ut ait S. Bernardus serm. 3 *De Annuntiat. Domini*: « Deus oleum misericordiae ponit in vase fiducia. » Expeditus dicemus repetendam esse vocem *numquid* quæ præcessit, *g. d.* Numquid non moriemur, cum te habeamus Deum protectorem sanctum et æternum? Syrus Valicenus *pro non moriemur*, habet, *sive lege; Arabicus, sive similitudine.* Sic enim verit Syrus: *Quoniam tu es a principio, Domine, Deus meus sanctus, sine lege aliqua, hoc est nulla lege, nullo decreto, nulla determinatione, nullo fato constringeris.*

Nota secundo: Pro לא תָמוּת lo *namut*, id est non moriemur, aliqui codices legunt לא תָמוּת lo *tamut*, id est non morieris, *g. d.* Tu Domine, uti sanctus, ita es et immortalis: quare non permittas nos mori, et a Chaldaeis occidi: illi enim,

æque ac illorum dii, ut impii, ita et mortales, infirmi et corruptibiles sunt, ac a te corrumperunt, mortique præsentem et æternæ addicentur. Unde Chaldaeus verit: *Tu Deus judex verus super omnes creaturas tuas, et sanctus in operibus tuis: verbum tuum in sæcula permanet, Domine, g. d.* Conserva nos, uti promissisti; fidelis et stabilis es, fac ergo nos stabiles: immortales es, ne ergo sinas nos mori, sed fac nos tui similes, et quasi immortales.

Nota tertio, quadruplicem antithesim. Opponit enim Deum idolis et hominibus: primo, quod Deus sit « a principio, » puta ab æterno, *g. d.* Deus æternus est, idola et Chaldaei temporanei sunt, modicoque tempore duraturi; secundo, Deus est omnium creator et dominus, idola et Chaldaei creature sunt et servi; tertio, ipse est Deus immensus, immortalis, omnipotens, etc., illi sunt hominum plasmata exigua, caduca, infirma; quarto, Deus est sanctus, ipsaque per essentiam sanctitas summa et perfectissima, illi impuri sunt et scelerati, *g. d.* Destruere ergo, o Domine, idola et Chaldaeos, tot nominibus tibi e diametro oppositos et inimicos. Porro ad majus pathos, majoremque affectum et obsecrationem, ut gratiam a Deo elandiat, vocat eum « Deus meus, sancte meus, » non, noster: tum quia Propheta hic loquitur in persona populi, qui collective est et singularis; personam enim populi in se suscipit et induit, utpote unus et primarius o populo, ut in se, et secum totum populum suppli- cem Deo constituat, itaque tot capitum numero armatas preces Deo offert, veniamque extorquet; tum quia Deus cujusque fidelis et justus, tam est Deus, id est pater, provisor, custos, amicus, etc., ac si ejus solus esset Deus. Sic ait S. Augustinus lib. III *Confess.* cap. vi: « O tu bone omnipotens, qui sic unumquemque nostrum curas, ac si solum curas; et sic omnes, tanquam singulos. » Et S. Paulus ait Christum esse suum: « Qui, inquit, dilexit me, et tradidit semetipsum pro me, » *Galat. ii, 20.*

DOMINE, IN JUDICIUM POSUISTI EUM. — Est concessio, *g. d.* Fatemur te, Domine, misisse Nabuchodonosorem « in iudicium, » id est in justam vindictam, ut scilicet per eum, quasi per virgam, castigares peccata nostra et aliarum gentium, ideoque eum fortem effecisti.

FUNDASTI, — firmasti et roborasti Nabuchodonosorem tot opibus, viribus, copiis, imperiis, victoriis.

13. MUNDI SUNT OCULI TUI, NE VIDEAS MALUM. — « Videas, » id est approbes et faveas. Est catachresis; que enim approbamus, quæque nobis placeant et grata sunt, ea continue et læte aspiciunt; que vero odiosa et ingrata sunt, ab his oculis avertimus. Unde Virgilius:

Divæ solo fixos oculos aversa tenebat.

Et vulgo dicitur: « Ubi oculus, ibi amor; ubi

manus, ibi dolor. » Sensus est, *g. d.* Tui oculi, tuaque mens mundissima et justissima est; quare malum, id est peccatum et injuriam, æquis et benignis oculis aspiciere et videre nequis, ut illi faveas, et pro illo pugnes. Cur ergo respicias super Chaldaeos iniqua agentes, violentos et injurios, ac permittis ut ipsi nos devorent? Esto enim simus peccatores et injusti: Chaldaeis tamen, utpote idololatri et tyrannis, meliores et justiores sumus. Sufficiat ergo, Domine, quod peccata nostra per eos leviter castigas; at ne sinas nos per eos excindi et disperdi. Sic enim videberis favere tyrannis et idololatri contra tuos fideles et cultores; ac idololatri jactabunt te favere eorum tyranni et idololatriæ; aut certe te non posse, vel non velle auxiliari populo tibi devoto.

Nota: Propheta hic non obmurmurat Deo, ut blasphemat Calvinus, sed ex dolore libere queritur, deprecatur, et amice expostulat cum Deo, quod velit Judeos punire et vastare per Chaldaeos Judæis peiores. Sic improborum prosperitatem inoleat et admiratur David *Psalms. lxxii, 12*, Jeremias cap. xii, 1, Job cap. xxi, 7. Aliter respondet S. Hieronymus hæc dici a Propheta: « Non quod ipse sis sentiat, sed quod impatientiam humanam in sua persona exprimat; sicut frequenter videmus Apostolum varias hominum in se recipere sententias et tunc dicere: Vide aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, » *Rom. vii.* « Et quasi insipiens sit: Fratres ego non arbitror me comprehensisse. Ac rursus quasi perfectus sit: Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus, » *Philipp. iii.* Et: « Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in nobis discatis, » etc.

MUNDI SUNT OCULI TUI, NE VIDEAS MALUM. — Cum enim sis ipsa munditia et sanctitas, extreme odis omne peccatum, ideoque: « Perdes omnes qui operantur iniquitatem, » *Psalms. v.* Nam sicut lux adversatur tenebris, easque naturaliter aversatur atque odit, ac pulchritudo turpitudini, et puritas maculis sordibusque, et rectitudo obliquitati, et vita morti, et bonitas malitie, ita et sanctitas aversatur et execratur omne peccatum. Quare sancti Deus necessario sanctitatem amat infinito amore, ita necessario peccatum perfectum et mortale odit infinito odio. Cujus odii signa dat multa. Nam

primo, ob peccatum mortale privat hominem infinito bono, nimirum possessione ipsius Dei; secundo, quia ob illud infligit peccatori infinitum cruciatum et opprobrium, nimirum incendia æterna gehennæ; tertio, quia, etiamsi quis haberet merita infinita, ea tamen omnia aboleret Deus ob unum peccatum lethale; quarto, quia Filium suum ad delendum peccatum, infinitam humiliationem et afflictionem subire voluit. Talis enim fuit ejus incarnatio et mors, quia, ut ait Apostolus: « Semetipsum exinanivit, » id est ex omni fecit se

quasi inane et nihil, *Philip.* II. Deum æmulantur sancti, qui proinde immense oderunt peccatum, tam in se, quam in aliis, ideoque omni modo salutem ut illud aboleatur, dum suo zelo iustus in justitia conservant, peccatores a peccato ad justitiam traducunt.

Sanctitas
in quo
consistat
despon-
do pri-
mo.

Porro sanctitas consistit in conformitate cum lege æterna, quæ est in mente Dei. Is enim perfectus et sanctus est, cujus voluntas et opera exacte conformantur legi æternæ, puta menti et voluntati Dei. Voluntas enim Dei cum re ipsa sit eadem cum mente et intellectu suo, ideoque necessario et essentialiter legi æternæ conformis sit, et ex æquo respondeat; hinc pariter ipsa est mensura et regula omnis sanctitatis; et quia hæc conformitas in Deo est infinita, hinc pariter infinita est ejus sanctitas. Quare secundo, sanctitas consistit in amore et conjunctione cum Deo, qui est origo et plenitudo sanctitatis. Sanctitas ergo est amor Dei: « Sanctitas enim est omnimoda puritas, » ait S. Dionysius cap. XII *De Divin. Nom.* Jam sicut impuritas nascitur ex contactu inferiorum, puta ex amore et adhesionem ad epulas, venter, honores vanos, aliaque bona terrena et infima; ita puritas oritur ex contactu superiorum, puta ex amore et adhesionem ad Deum, resque divinas et cælestes. Purus ergo et sanctus est, qui toto affectu adhæret Deo; et quo magis omnem affectum in Deum transfert, eo in dies fit sanctior, dum singula cogitata, volita et opera sua dirigit ad Deum, ut in dies magis magisque ei appropinquet. Sic enim imitatur Deum, de quo dicitur *Psal.* CXLV: « Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis; » sequiturque ejus præceptum: « Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, » *Levit.* XI.

Vers. 14.

14. ET FACILES HOMINES QUASI PISCES. — *Primo*, q. d. Cur permittis, o Domine, ut, sicut piscator piscatur pisces, nemine eos tuente; sic Nabuchodonosor expiscetur, capiat et expillet omnes gentes. Hæc enim illi sunt pisces. Ita Rupertus et Vatablus. Ubi nota insignem allegoriam: Piscator Dei est Nabuchodonosor, hamus sunt doli ejus et technæ; sagæne et retia sunt arma, milites et aperta violentia, pisces sunt Judæi aliaque gentes, quas ut pisces (qui nullius sunt domini, nec habent duem aut protectorem, sed sunt primo occupantis, puta piscatoris qui eos ex aquis expiscatur et trahit) ita sibi subjugat, caleat et occidit, quasi revera pisces et reptilia essent, non homines. Hinc et per portam piscium Chaldaei irruerunt in urbem, ut dicam *Sophon.* I, 40. *Secundo*, magis genuine et nervose, q. d. Cur permittis, o Domine, ut, sicut pisces majores et fortiores, puta balæna, lupi, polypi, devorant minores: ita homines potentiores et tyranni, v. g. Chaldaei, devorant eos qui sunt imbecilliores; ut inter homines, æque ac inter pisces, non dominetur justitia, sed robur, vis et tyrannus, illeque sit dominus, qui viribus prævalet? Ita S. Hiero-

nymus, Theodoretus, Remigius et Theophylactus. Hinc illud Polybii proverbium vulgo usurpatum: « Pisces majores glutium minores. » Præclare S. Basilius hom. 7 *Heccam.*: « Major pars piscium, ait, liguntur alter alterum, et minor apud illos esca majoris est. Et si evenerit ut is qui minorem superaverat, alterius præda fiat, ambo tum simul deglutuntur, et una ultimi piscis immersi ventrem ingrediantur. Quid igitur nos homines aliud agimus, cum vim inferimus inferioribus? »

Symbolice, apposite Propheta homines comparat piscibus, ob multas analogias. *Prima* est: Sicut Deus creavit cœtum hominum, sic et cœtum piscium; pisces multi, multi et homines. Piscium valde variae sunt species; varii pariter ordines, gradus, complexiones, lingue, familiae et gentes sunt hominum; mare est mundus piscium, terra est mundus hominum. Omnes enim animalium species quæ sunt in terra, proportionaliter sunt et in mari, ut porci, canes, equi, vituli, quin et homines marini, ut multis exemplis Tritonum, Nereidum et Sirenum docet Plinius lib. IX, cap. V, et Olaus Magnus lib. *De Gentib. Septentr.* Insuper « plurima pars piscium est gregatilis, nec ullus grex caret duce, » ait Aristoteles lib. VIII *Histor. Animal.* cap. XVII. Sic et homines suas habent republicas et regna, et in omnibus suis est dux et princeps.

Secunda: Homines in mundo variis tentationum et mutationum æstibus jactantur, ut pisces in mari; ac sicut hi in illis ludunt, ita et homines ludunt in suis, atque in utriusque ludit sapientia et potentia Dei, *Prov.* VIII, 30.

Tertia: Pisces sunt aquei et humore luxuriant: ita et in hominibus plerisque, præsertim in hieme prædominatur pituita, qua proinde et senes fere omnes, et juvenes permulsi moriuntur, ac catharro suffocantur. Quocirca Philosophus definiens hominem: « Homo, inquit, est fortune lusus, inconstante imago, corruptionis speculum, temporis spoliū, mancipium mortis, viator transiens, Dei ludibrium; reliquum, pituita et bilis. »

Quarta: Pisces sicut ex aqua generantur, ita in eadem vivunt (nam extra illam moriuntur), ex æque aluntur et nutriuntur, uti docet Rondeletius lib. I *De Piscib.* cap. XI; licet enim aqua maris sit salsa, ac proinde inepta nutritioni, ut pote cujus alimentum est succus dulcis; tamen in mediis undis salis permixtus humor dulcis continetur, admixtusque est, quem pisces in alimentum familiare transmutant; quam ob causam crebro in Pontum migrare solent, et ibi pinguescere, quod illud mare dulcibus aquis copiose alluatur, uti docet Aristoteles lib. VIII *Histor. Animal.* cap. XIII. Et cap. II, in mari esse dulcem liquorem, probat ex aquæ percolatione. Si enim ex cera vas tenue fixeris, idque funiculo appensus in aquam demiseris die ac nocte una, humoris dulcis copiam intra se colliget. Rursus

nauta, et qui arentia maris littora incolunt, aquarum dulcium copia destituti, puteis vix tres cubitos altis ad litus effossis, suavem dulcemque liquorem ex mari deducunt, qui per arenam transcolatus a sanguine separatur. Nec mirum est pisces aqua alii; quia sola aeris inspiratione plurima animalia vivunt. Astomos scribit Plinius, lib. VII, cap. II, halitu tantum et odore, quem naribus trahunt, vivere. Sed hoc fabulosum forte; tamen ab aliis, qui Plinio vetustiores fuerunt, litteris proditum est, vires in animi consternatione et syncope, admotis odoratis maxime refecti et instaurari. Romæ annos quadraginta sacerdotem quemdam aqua aeris inspiratione vixisse, ex Leonis Pontificis Maximi et multorum principum custodia, et Hiermolai barbari historia fideque certissimum est. Puellam ante annos tres in Gallia Narbonensi omnes avidimus, vidimus multi; et Spire in Germania aliam a viris doctis acceptimus, quæ multos annos nullo alio præter aerem cibo potaque, vitam salubriter traduxit. Aliam etiam nos vidimus, quæ etiamnum hodie vivit, eodem victus genere ad decimum ætatis annum pervenisse, tandem grandem factam nupsisse, et felicem prolem sustulisse. Etenim si aer subtilis homines, multo magis aqua crassior pisces nutrire potest. Huicque Rondeletius. Eadem exempla sacerdotis et puellarum narrat probatque noster Delrio lib. II *Magie*, Quæst. XXI. Sed medicæ causam adscribit complexionis phlegmaticæ, puta humor phlegmatico crudo, lento et viscoso, quo alitus sit calor naturalis; idque verosimilius videtur. In eo ergo pisces sunt similes hominibus, quod utrique humore nutriantur et vivant, sive is æreus sit, sive aqueus. Aer enim et aqua sunt elementa vicina et symbola; aer enim est aqua subtilior, et aqua est aer crassior. Elementa enim nostra non habent primævam puritatem et simplicitatem, in qua condita sunt, sed multis exhalationibus, vaporibus, rebusque terrestribus permixta sunt, ac proinde alimenta viventium esse possunt, vimque ea alendi habent. Sane terra vivunt alunturque plantæ, serpentes et reptilia.

Quinta.

Quinta: Majores pisces minores devorant, ita et homines, juxta illud: « Homo homini lupus. » Rursus, sicut cetus pisces pene omnes absorbet, etiam maximos: sic et diabolus, qui, quasi balæna in mari hujus sæculi, animas quaslibet, etiam regum et principum, quin et sanctorum, prædat, juxta illud *Psal.* cii, 26: « Draco iste quem formasti ad illudendum ei. » Audi Aristotelem lib. IX *Histor. Animal.* cap. II: « Ineunt prælium pisces majores contra minores; major enim quisque et robustior minorem inferiorem devorat. » Idem, lib. VIII, cap. II: « Alter, inquit, alterum sui generis edit, excepto mugile, sed maxime congrui. »

Sexta.

Sexta: Pisces sunt muti: sic et homines coram Deo, quantumvis sapientes et sancti, quasi pisci-

culi obmutescent, eoque arguente ponunt cum S. Job, cap. XXXIX, 34, manum super os suum: ac in die iudicii coram Christo iudice, omnes quasi pisces conticescent, I *Reg.* II, 9; *Matth.* XXV, 46.

Septima: Piscibus juxta caput sunt binæ pinnae, quasi binæ penarum alæ, quibus velut remis mare sulcant: sic et homini binæ sunt brachia, quibus omnia operatur. Insuper piscis cauda, quasi remone et clavo, navis suæ gressum dirigit; unde a natatu piscium didicerunt homines fabricare naves, iisque sulcare maria. Est enim piscis quasi navis natans et velificans in mari, uti de naufrigo pisce et concha, ait Plinius lib. IX, cap. XXIX, XXX et XXXII; ita et homines pedibus se quocumque volunt promovet Rursus, sicut aves aliqua sunt semipices, quia volant in aere, et natant in aqua, ut merguli, anates, fulicæ; ita vicissim sunt pisces, qui sunt semivivæ, quia habent ingentes pinnae, quasi pennas, quibus volant super aquas instar avium, qualem vidi Romæ in bibliotheca ducis de Althempis. Symbolice, aves sunt angeli, qui in æthere versantur, et ad Deum evolant: pisces sunt homines, qui in mari hujus sæculi volitant. Sicut ergo angeli sunt semihomines, dum corpus assumunt, et cum hominibus colloquantur; ita vicissim homines sunt semiangeli, dum pennis per contemplationem elevati, ad Deum evolant.

Octava: Pisces ventre incubant aquis; ita et multi homines incubant aquis voluptatibus. « Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt, » *Philipp.* cap. III, 19. Hæc de causa Christus factus homo, factus est piscis hujus sæculi, ut ex aquis et terreis hominibus quasi piscibus, faceret æthereos et cælestes. Quocirca Christi nomen fuit *ἰχθύς*, id est *piscis*, ut patet ex acrostichis Sibilicis, cujus prime litteræ combinatæ hæc verba præferant, *ἰχθύς* *Xpotic*; *Θεὸς* *υἱὸς* *πατρὸς*, id est, *Jesus Christus Dei Filius, Salvator*: quarum vocum greocanicarum litteras initiales si jungas, habebis *ἰχθύς*. Acrostichum hæc recenset Eusebius lib. IV *De Vita Constantina*. Hinc et Christus piscatores elegit, fecitque apostolos, quos « cum retibus fidei ad mare hujus sæculi pauissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, et tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit, » ait S. Augustinus lib. XIII *De Civit.* cap. V. Et *De verbis Domini in Evangel. secundum Joann.*, serm. 59: « Leguntur, ait, modo verba piscatorum, et colla subduntur oratorum. »

Præclare S. Chrysostomus serm. De S. Andrea, qui exstat apud Surium die 30 novembris: Apostoli, inquit, piscatores fuerunt, sed « illorum instrumenta nova et inusitata fuerunt. Nam per arundine predicatione utuntur, pro funiculo memoria, pro hamo potentia, pro esca miraculis, pro petra cælis, ex quibus hujusmodi piscationem exercent: pro scapha habent altare; pro piscibus reges etiam capiunt; pro sagena Evan-

gelium expandunt; pro arte divinam gratiam adhibent; pro mari vitam humanam tractant; pro rebus erucio, velut sagena quadam, uti solent. Quis unquam vidit a mortuis piscatoribus viventes homines tanquam pisces, capi? O magnam crucifixi potentiam, o divina dignitatis prestantiam, o Apostolorum summa beneficia! Nihil tale in vita esse potest, quale est Apostolorum gratie fastigium. »

Nona. *Nona:* Pisces sale eget ne putrescat; sic et homo prudentia. Rursum, piscis primum a capite putrescit et foetet; sic et homo a ratione et voluntate, qua se sinit a cupiditate vinci et corrumpi. Sicut enim molles sunt pisces, sic effeminati et homines; hinc utriusque escis et illecebris quasi laqueis capiuntur. Pari modo monasteria, collegia, Ordines, respublice a capite vitium et ruinam trahunt. Quomodo enim habent bonos et vigilantes aereque rectores, magistratus, principes, vigent, et sarta tecta consistunt; sed ubi pravos, vel inertes et remissos accipiunt, omnis disciplina rigor, ac consequenter republicae vigor, integritas et dignitas, instar salis aqua liquefacti, dissolvitur et evanescit.

Decima. *Decima:* Pisces vagantur et oberrant, maxime qui carne aluntur, ait Aristoteles lib. IX *Histor. Animal.* cap. xxxvii. Ita oberrant et homines, praesertim lucri et voluptatum cupidi. Rursum idem, lib. VIII, cap. xii: « Ut homines, inquit, alii domicilia hieme repetunt, alii qui ampliores provinciae principes sunt, sedem pro tempore mutant, ut moram aestate, locis frigidis, hieme tepidis trahant, etc. Sic et pisces per hiemem ex alto in littora teporis gratia veniunt: contra aestate ex littore in altum, vitantes aestum discedunt. »

Undecima. *Undecima:* « Pisces pinnulas habent, ut nantes: pedibus carent, ut non pedestres, sed aquatiles. » Homo vero, quia terrestris est, pedestris est: « Pedum enim additio utilis ad motum, qui in pedo, hoc est solo agatur: unde et nomen inditum pedibus est, » ait Aristoteles lib. IV *De Part. Animal.* cap. xii.

Duodecima. *Duodecima:* Pisces nonnulli respirant et dormiunt, ut homo. Audi Aristotelem lib. VI *Histor. Animal.* cap. xii: « Spirant quae fistulam habent omnia, et recipiunt aerem: haud enim carent pulmone. Et quidem visus est delphinus dormire rostro emerso ac stertere. » Idem docet Plinius lib. IX, cap. vii, idque probat ex piscium in aestate anhelatione, oscitatione et bullantium aquarum sufflatione.

Decima tertia. *Decima tertia:* Pisces senescunt ut homines. Ita Aristoteles lib. VIII *Histor. Animal.* cap. ult: « Vitiant, ait, senectute pisces: et quidem thunni vel ad rem salsamentariam, senes improbi sunt; multum enim carnis assumitur: quod enim in ceteris piscibus evenit, declarat eorum senectus duritie magnitudineque squamarum. Jam captus est thunnus senex, cujus pondus erat ad

talenta quindecim, et caudae intervallum ad quinque et cubita palmum. »

Decima quarta. *Decima quarta:* Homines plures et frequentes habent dentes, ac primores acutos ad cibi scissionem et masticationem: ita et pisces multos habent dentes, eosque acutos et serratos. Unde Aristoteles lib. III *De Part. Animal.* cap. i: « Pisces, ait, omnes serratis sunt dentibus, uno excepto qui scarus vocatur: complures etiam dentes in lingua habent, et in palato. Cujus rei causa est, quod, cum mersi in aqua degant, humorem cum cibo admittant, eumque exspuant quam primum necesse est; non enim in molendo commorari possunt, quando humor in ventrem interrumpit; Idcirco omnes acuti et frequentes undique sunt; videlicet ut praemultitudine in minuta secent, quae attritu subigere nequeunt. Admici praeterea sunt, quoniam robur fere totum piscium in dentibus situm est. »

Decima quinta. *Decima quinta:* Homines laborant morbis, ita et pisces; a pestilentia tamen immunes sunt. Ita Aristoteles lib. VIII *Histor. Animal.* cap. xix: « Morbus, ait, pestilens nullus incidere piscibus univervis videtur, etc., aegrotare tamen et ipsi putantur; et quidem pisces pro morbi indicio capiunt; cum aliquot extenuatos languentibus similes, et colore immutatos inter multos pingues ac validos ejusdem generis ceperunt. » Addit idem paulo superius aetivos imbres commodiores esse piscibus, et hiemem seniores: « Ad summum prope dixerim, inquit, cum bene hominibus annus cedit; tunc et piscibus feliciter degere contingit. » Porro pisces cum aegrotant, apio viridi sanari tradit Plinius lib. XX, cap. xi; idem magnum piscium in medicinis hominum esse usum docet lib. XXXII, cap. v.

Decima sexta. *Decima sexta:* Pisces habent cor ejusque situm similem homini. Audi Aristotelem lib. III *De Part. Animal.* cap. iv: « Cor, ait, ceteris animalibus in medio pectore est, homini tantum paulo vergit ad laevam, ut ejus partis refrigerationem moderetur et compenset: omnium enim animalium maxime homo refrigeratam habet partem sinistram. In piscibus etiam cor similem situm tenet. Solis his cordis mucro ad caput spectat, cum ea pars prior sit: eodem enim agitur motus. » Rursum pisces generant ut homines; habent enim sexum distinctum, alii mares sunt, alii feminae; ac feminarum ova non perficuntur ad generationem sine mare, ut fit in gallinis et avibus, teste eodem Aristotele lib. VI *Histor. Animal.* cap. xi, et lib. IV, cap. ult. ubi docet pisces feminas majores esse maribus, sed ad cibum mares praestantiores esse feminis, excepto siluro, asserit idem lib. VIII, cap. xix.

Decima septima. *Decima septima:* Piscium omne genus vorax et gulosum est, teste Aristotele lib. III *De Part. Animal.* cap. xiv; item prolificum et fecundum, abundant enim humore; sic et homines in gulum et venerem propensi sunt. Rursum, pisces

« oculi sunt lubrici, propter circumfusi humoris crassamentum, » ait Aristoteles lib. II, cap. xiii; sic et hominibus. Unde multi merito gemunt, dicuntque illud *Thren.* cap. iii, 31: « Oculus meus deprædatus est animam meam. » Et vers. 48: « Divisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiae populi mei. »

Decima octava. *Decima octava:* Pisces habent memoriam, et vitam agunt rationi humane vicinam. Id negarunt nonnulli; sed certissimum esse, et experientia se didicisse testatur S. Augustinus lib. III *De Genes. ad litt.* cap. vii: « Nam fons, inquit, Bullensium regionum fere plenus est piscium. Solent autem homines desperatè intentes eis aliquid jacere, quod sibi vel praeripiunt confluentes, vel inter se diripiunt concertantes. Quo pastu assuefacti, deambulantibus super oram fontis hominibus, ipsi quoque cum eis congregatim natando eunt et redeunt, expectantes ut aliquid jactent, quorum praesentiam sentiunt. Non ergo nulla memoria, vel sensus tardior animae inest piscibus. » Idipsum ego subinde in stagnis piscium expertus sum. Quocirca idem, tract. 123 in *Joan.*: « Viderunt, inquit, prunas positas, et piscem superpositum, et panem. Piscis assus, Christus est passus. Ipse est panis, qui de caelo descendit. Pisces dicuntur homines. » Hinc prisci homines temperantes et casti vesebantur, non carne, sed pisce, utpote digestu facili, et refrigerante tam calorem naturalem quam aestum irae ac libidinis; testis est Athenensis *De Canis sapientium* lib. III, IV et VIII. Vicissim, ut ait idem lib. VII: « Piscis quivis humana carne delectatur. » Augurium piscium recenset Plinius lib. IX, cap. xvi: « Siculo, ait, bello, ambulante in littore Augusto, piscis e mari ad pedes ejus exsilii; quo argumento vates responderent: Neptunum patrem adoptantem eum sibi, Sexto Pompeio repudiato. Tanta erat navalis rei gloria, sub pedibus Caesaris futuros, qui maria tempore illo tenerent. » Idem, cap. xxi, mira habet de astutia piscium, ut pinnas, torpedinis, rhombi, pastinace, etc. Idem, cap. lxx, refert quosdam pisces vixisse sexaginta annos, quae est aetas hominum. Idem, lib. X, cap. xlv, ait vitulos marinos multosque alios pisces curari et mitescere. Et cap. lxx, ait in piscibus Caesaris quosdam pro nomine evocatos illico adnatare. Idem, lib. IX, cap. viii, ex Maccenae narrat delphinus e manu hominum vesci, pueros dorso excipere et veclare, eosque amare, adeo ut cum iis morientibus emoriantur.

Decima nona. *Decima nona:* S. Augustinus in *Psal.* lxxv: « Mare, inquit, in figura dicitur saeculum hoc salinae amarum, procellis turbulentum, ubi homines cupiditatis perversi et pravis facti sunt velut pisces se invicem devorantes. Attendite mare malum, mare fluctibus saevum. Attendite quibus hominibus plenus sit. Quis optat hereditatem, nisi morte alterius? Quis optat lucrum, nisi morte alterius? Quam multi aliorum dejec-

tione capiunt sublimari! Quam multi, ut emant, optant alios vendere res suas? Quomodo se invicem opprimant, et qui possunt devorant? Et cum devoraverit unus piscis major minorem, devoratur et ipse a majore. O piscis male praedam vis de parvo, praeda efficietis magno! »

Denique S. Bernardus, serm. *De B. Maria*, pag. 394, triplicem assignat hominum piscinam et triplices pisces: « *Primum*, inquit, diluvium est vitiorum; *secundum*, tribulationum; *tertium*, miseriae et tenebrarum. *Primum* est peccati, *secundum*, mundi, *tertium*, inferni. Pisces *primi* sunt oblectamenta, *secundi* iniqua tentamenta, *terti* perpetua tormenta. Hinc in Evangelio de bonis piscantibus, vitia calcantibus, tentamenta superantibus, aeterna tormenta vitantibus dicitur: Elegerunt bonos in vasis suis, malos autem foras miserunt. » *Math.* cap. xiii, 47. Unde liquet ipsos reprobus et damnatos esse pisces qui natant, jactantur et astant in stagno ardente igne et sulphure. *ApoCAL.* cap. xxi, 8. Longe major hominum pars, imo maxima, et pene innumera, in hoc stagno volutat et ardet. Eia, Domine, numquid facies homines quasi pisces maris? atque utnam essent pisces maris! utnam a celo devorarentur! jam autem sunt pisces, imo folles et fomenta gehennae, ræda et laniena diaboli, imo multorum millium et millionum demonum: ubi vernis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. Eia, Domine, numquid sines ut dilatet infernus animam suam, et aperiat os suum absque ullo termino, ut absorbeat tot gentes et populos, quorum non est numerus instar arenae maris? Parce, Domine, parce creaturis tuis, quas ad tui imaginem creasti, quas quasi stellas caelo destinasti, quas pretioso sanguine Unigeniti tui redemisti. Obstrue hoc immane os tartari, ne tot animas glutiat. Emitte spiritum tuum in nos, ut hujus flammantis stagni meditatione et horrore concussi peccata vitemus, concupiscentiae resistamus, penitentiae nos dedamus, ac vitam sanctam tanquam viam in celum capessamus; ut in illud transferri, ibique quasi pisces caelestes in fluvio paradisi, *ApoCAL.* cap. xxii, 1, puta in te tei quae visione, fruitione et gaudiis sempiternis, natere mereamur. Amen.

ET QUASI REPTILE NON HABENS PRINCIPEM. — Reptile est animal quod non incedit pedibus, sed ventre serpi reptique, uti faciunt serpentes, vermes, lumbrici, aut certe quod adeo exiguus habet pedes, ut is non tam necedere, quam reperere videatur, uti habet laceria, mustela, mus, talpa, etc. Haec sunt reptilia terre: nam reptilia maris et fluminum sunt pisces. Porro Propheta, ut Deo representet hominum injurias, afflictiones et aeternas, eas non tantum comparat piscibus, sed et reptilibus, quae piscibus infirmiora sunt, et injurie magis obnoxia. Nam *primo*, pisces in maris vel fluminum vastitate aut profundo abscondere se possunt a piscatoribus et piscibus vorata-

Vigilantia.

Decima quarta.

Decima quinta.

Decima sexta.

Decima nona.

cibus; at reptilia in terra degunt, et exigua habent antra, in quibus statim dprehenduntur et capiuntur; *Secundo*, pisces multi, nimirum qui gregatim incedunt, uti halcees, delphini, mugiles, sum habent ducem, etsi sui similem, imbellem, invalidum et improvidum: at reptilia nullum habent ducem, sed solitaria repunt, omninoque prede exponuntur; *tertio*, pisces nando hostem effugere, et quasi avolare possunt: at reptilia, quia repunt, tardigrada sunt, adeoque fuga elabi nequeunt. Sensus ergo est, *q. d.* Cur permittis, o Domine, ut Judæi et gentes calcantur, proterantur et enecentur a Chaldeis, sicut reptilia (v. g. ranæ, lumbrici, limaces, quæ non habent principem qui eos ab injuria tueatur) calcantur et proterantur a viatoribus, vel a reptilibus potentiorebus, v. g. serpentibus. Hæc enim, inquit Theophylactus, « ob naturæ suæ amaritatem, neque duces habent, cum exsortia mixture et societatis, et mutuo inter se odio savientia. Nam animantia sub duce constituta mansuetiora sunt, contubernii et societatis amantem, ac gregis et armenti sequacem naturam et indolem per hoc indicantia. » Unde per hæc tropologie accipit homines brutos et mutos, feros et serpentes, qui in sese invicem grassantur.

Homoeost reptilibus tres sunt leges.

Primo. Tropologie, rursum vide hic quam misera sit hominum conditio: homines enim sunt quasi reptilia. Unde Ieshaam, id est sedens in cathedra, primus fortium Davidis, vocatur « tamariscus ligni vermiculus. » Il *Reg. xxiii, 8.* Idque *primo*, quia homo dum nascitur, est quasi reptile; manibus enim et pedibus reptit super terram. Hinc illud ænigma sphingis de homine: « Mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes. » Homo enim mane, id est in infantia dum nascitur, quasi quadrupes manibus et pedibus inilitur: deinde in juventute incedit bipes: vespere, id est in senio, graditur tripes: quia præter binos pedes addeicit tertium, puta scipio. nen qui insipit.

Secundo. *Secundo*, quia plerique homines manibus, pedibus totoque corpore, quin et mente repunt in terra: nam nil cogitant nisi terrena, omnis eorum labor et occupatio est in terra, multi quoque in ventrem projecti, nil nisi cum terrenis deliciis implere et sarcire satagunt.

Tertio. Quod proprie hic spectat Propheta, quia homines, æque ac reptilia, potentiorem injuriæ et prede expositi sunt. Turcæ, Tartari, Indique reges educunt in aciem trecenta et quingenta hominum millia, æque hostibus instar pulicum pro se maclanda objiciunt. Annon hi sunt reptilia eorum suis regibus, æque ac eorum hostibus? Servi et mancipia ad aurifodinas et metalla damnati; coloni agris herorum colendis addicti; servi et opifices terrenis villibusque dominorum imperis et ministeris deputati, nonne sunt quasi reptilia terræ?

Denique Guevara probabiliter per reptile acci-

pit pisces maris, qui non habent principem, libellæ potentem eos tulantem, et a rapinis vindicantem, ut sit epanaphora Prophete usitata: nam sequentia omnia spectant pisces, et piscatorem cui hic comparat Nabuchodonosorem. Sic pisces vocantur *reptilia*, *Psal. ciii, 23*: « Hoc mare magnum et spatiosum manibus illie reptilia quorum non est numerus. » Sic sensus erit, *q. d.* Itane, Domine, nos fideles barbaro Chaldo quasi pisces, qui non sunt nisi vilia et misera reptilia maris, expiscandos et devorandos trades? Itane nos, qui sumus tuum peculium tuæque hereditas, immani tyranno quasi lautum piscium epulum obijcies? Itane Israelem dilectum tuum, ferissimæ huic bestie glutendum appones, ut eam tam pretiosa esca sagines? Absit, Domine, absit. Sic Pii II Pontificis gnomo erat: « Litigatores sunt aves, forum area, iudex rete, advocati aucupes. Quocirca dignitatibus viri dandi sunt, non dignitates hominibus. Grave est Pontificis onus; sed beatus, qui id bene fert. »

15. Torum. — puta totam piscium prædam, totum piscabile, nimirum omnes pisces, hoc est, omnes gentes expiscatus est magnus hic piscator, scilicet Nabuchodonosor suo hamo, sagena et reti. Vox *totum* notat insatiabilem ejus avaritiam et rapacitatem, ob quam dum totum rapuit, totum perdidit, juxta illud S. Cypriani, lib. V, *epist. 2*: « Dum insatiabiles multum volumus, totum perdimus. » Et illud: « Camelus desiderans cornua, etiam aures perdidit. » Verissimum est ergo illud paradoxum: « In dubiis, dimidium plus est toto. » De quo Hesiodus: « Stolidi, aut ignorant quanto plus dimidium sit toto. » Fit enim sepe ut qui plus cupide appetit, etiam id quod habet amittat. Videre id est in litigantibus, qui dum totum cupiunt, sepe totum perdunt, vel per sententiam judicis, vel per immanes sumptos quos in litem insumunt, juxta illud *Eccles. iv, 6*: « Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi. » Et illud *Proverb. xv, 16*: « Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles. » Et cap. *xvi, 8*: « Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. » Et *Ecl. xiv, 9*: « Insatiabilis oculus cupidus in parte iniquitatis: non satiatitur donec consumat artefaciens animam suam. » Vere Philosophus: « Omnis virtus est mediocritas. » Et dives est animus suis contentus, sibi que sufficiens: pauper, qui plura cupit. Pittacus, cum Mitylenæ ei multa offerrent, pauca tantum accepit, dicens: « Parva munera sunt divina, quibus nemo indiget: locupletia solent non esse propria. » Ita Probus in *Thrasymbulo*.

16. Torum. — Hamus est instrumentum adonem cui esca appenditur; quam dum glutunt pisces, unco se induunt et infigunt, itaque hamo a piscatore desuritur et extrahuntur. Unde hamata munera vocantur, quæ ita dantur, ut

majora ad se alliciant, et, ut vulgo dicitur: Pisciculis piscem capiunt; dant enim parva, ut magna recipiant. Sagena est rete, sed minus, v. g. quod unus piscator utraque manu expandere, ac rursus elevare et attrahere potest. Rete est majus. Quare per hamum, sagenam et rete significatur instrumentum piscationis parvum, majus et maximum. Per omnia hæc intelligit vires et copias Nabuchodonosoris, quibus gentes capiebat et quasi expiscabatur. Totus enim ejus exercitus *capit primo*, quasi hamus unus in manu Nabuchodonosoris, utpote totus ab eo dependens, in ejusque potestate et manu positus; idem tamen ob innumeros milites, cohortes et turmas, erat quasi ingens sagena et rete, ex plurimis filiis et ocellis contextum. *Secundo*, quia ipse parvas urbes parvis copiis quasi hamo, magnas magnis quasi sagena et reti capiebat. Ita S. Hieronymus. *Tertio*, per hæc tria alludit ad tres expeditiones, quas in Judæam fecit Nabuchodonosor. Nam *primo*, anno regni sui 3 invasit eam; sed paucos, puta Daniælem cum sociis, abduxit, *Daniel. i, 4*; tunc ergo quasi hamo piscatus est. *Secundo*, anno regni sui 8 rediit, et Joakim regem occidit, filiumque ejus Joachin, sive Jechoniam cum multis aliis captivos in Babylonem abduxit; hæc ergo fuit piscatio per sagenam. *Tertio*, anno regni sui 18 Jerusalem cepit et evertit, Sedeciam regem excohlavit, filios ejus aliosque principes occidit, ceteros omnes in Babylonem transtulit, *iv Reg. xv.* Hæc ergo piscatio fuit per rete, quo uti totum Judæam, ita et reliquas gentes conculsit, evertit, comprehendit. Denique Ribera per hamum accipit dolos et technas, per sagenas et retia apertam violentiam Nabuchodonosoris. Hamus enim, utpote exiguus, occulit retibus, et occultius piscem expiscatur.

Nota: Sagena Græcis est genus retis piscatorii: Latini *verriculum* vocant, eo quod pisces e mari vel flumine quasi evertat, et in se, sui scilicet angulum, congregat, de qua Manilius lib. V:

Excipitur vasta circumvallata sagena.

Unde explicans subdit: « Et congregavit in rete summ. » Dum enim sagena a piscatoribus per mare vel fluvium trahitur, illudque verrit, pisces eam fugientes congregantur in retia arolata et angulata, certis locis disposita, ad que eos propellit sagena. Per hamum ergo, sagenam et rete, quibus piscatores impediunt et illaqueant pisces, significat omnes artes, copias et machinas, tum minores, tum majores, quibus Nabuchodonosor usus est ad debellandas et capiendas omnes gentes. Unde Delrio, *adagio 1000*: « Hamo, inquit, sigillatim captis oppidis videntur cives sublevari, sagena vero attrahit simul tota gens in captivitatem abducta. » *Secundo*, per hamum, utpote parvum et occultum, accipi possunt ejus technæ, doli et stratagemata; per sagenam et rete pagellum, aperta vis et prælia. *Tertio*, alii per sage-

nam et rete accipiunt idola, puta Belum, qui victorias suas adscribebat Chaldeis. Unde subdit: « Propterea immolabit sagena suæ, et sacrificabit reti suo, » puta Belo. Ita Remigius et Lyranus. *Quarto*, S. Hieronymus et Remigius ita hæc tria discriminant: « Ut piscator quod hamo non potuit, reti comprehendat, et quod everserit rete, sagenis latioribus circumdetur; ita Nabuchodonosor quod minoribus copiis vincere non potuit, majoribus debellavit, adeo ut cuncta vastarit, et universum hominum genus prædam fecerit. » Paulo aliter Chaldeæ: *Omnes*, inquit, *similes sunt piscatori, qui cum ceperit piscem, hamo colligit eum in sagena sua, et projicit eum in rete suam.* Apposite Nabuchodonosorem comparat piscatori, quia ipse regnabat in Babylone, quæ adiacet Tigri et Euphrati: exercitum ejus sagena, quia Judæos et gentes quasi pisces circumdedit, evertit et cepit. Præclare Sapientis, *Eccles. cap. ix, vers. 12*: « Nescit, inquit, homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo super-venierit. »

16. PROPTEREA IMMOLABIT SAGENA SUÆ. — Per Vers. 16.

sagenam S. Hieronymus et alii intelligunt deum Chaldeorum, qui ipsi victorias suas acceptas ferabant, eique in gratiarum actionem immolabant: deum autem hunc esse Belum. Guevara vero censet deam hanc esse Derectem, Semiramidis reginæ matrem, quam Syri fabulantur in piscem esse conversam: quocirca eam pingebant facie mulieris, quoad cætera effigie piscis, eique insigne templum ad Ascalonem juxta lacum piscibus plenum statuerunt. Hanc proinde Plinius Atargatim prodigiosam vocavit: erat enim monstrum conflatum ex muliere et pisce. Athenæus auctor est Atargatim syriacæ dictam ab *atar*, id est sine, et *gatis*, id est piscis, *q. d.* Sine piscibus, eo quod piscium abstinentia coleteret. Sunt qui putant Dagon deum Palestinorum, de quo *i Reg. v, 4*, eundem esse cum Derectem; nam Dagon hebraice piscem significat, et piscis formam habebat. Ita ex Diodoro, Xenophonte, Plinio, Cicerone et Ovidio Guevara, qui proinde censet hic esse metonymiam; nam sagenam ac rete pro piscibus usurpari. Cujusmodi est illud Virgilii:

Nunc pateras libate Jovi,

id est vinum contentum in pateris. Porro piscem, puta Derectem, præ aliis Chaldoorum diis hic nominari hæc ratio, *q. d.* Nabuchodonosor suas victorias acceptas referet, non tantum regi Belo, sed et multis piscibus (puta Derecti), eisque sacrificabit; quod quam stultum sit, quis non videt? Quomodo enim pisces imbelles alios defendant, qui se a piscatoribus defendere nequeunt, quin quoties liberit, eorum sagenam et reti capiantur? Vide ergo, o Domine, hanc ejus stolidam impietatem, ac tuæ injuriæ et divinitatis zelotes eam

uliscere, nosque tibi devotos e manibus et unguibus ejus libera. Hæc Guevara. Verum quia Dercete erat Syrorum dea, non Chaldeenorum (horum enim idolum erat Bel) ; et quia sagenam hanc explicans Propheta subdit : « Propter hoc ergo expandit sagenam suam ; » non autem expandit deam suam, sed suas copias : hinc melius magisque genuine per sagenam accipias industriam militarem, arma, vires et exercitus Nabuchodonosoris, quibus ipse acceptas ferebat suas victorias, q. d. Mea virtute bellica tot peperit triumphos ; illa ergo mihi Deus est, alium non agnosco. Unde Chaldaeus veritè : *Propterea sacrificat armis suis, et adoleat aromata retiaculo suo*. Sic Mezentius ait apud Virgilium *X. Æneid.* :

Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro.

Tales etiam videntur principes politicos et atheos. Et Antiochus, vel potius Antichristus, colet deum Maozim, id est fortitudinem, puta vires suas bellicas, *Daniel. cap. xi. 38.* Ita Ribera, Emmanuel Sa, Mariana et alii. Aliiter hæc explicat Joannes Alba *Electorum cap. lxxv.* nimirum : *sagena sua, et reti suo*, inquit, positum est pro, *de sagena sua, et de reti suo, q. d.* Immolat, scilicet diis suis, illis offert sacrificia de sagena et reti suo, id est de spoliis gentium, quas expiscatus est, id est vastavit et spoliavit. Verum hic multa supplendo everit versionem Vulgatam : immolare enim reti est reti ipsi sacrificare, non diis de reti. Quis enim aliter hanc phrasin intellegat (1) ?

QUA IN IPSIS INCRASSATA EST PARS EJUS. — q. d. Pingues lautasque epulas, scilicet omnium gentium selectas opes, quasi partem sortemque suam, sibi hæc sua sagena et reti comparavit. Unde iis insecutus, non cessat eam ulleris semper expandere, ut plura regna capiat, et imperium suum longe lateque propaget. Hoc est quod ait : « et cibus ejus electus. » Tropologie S. Theophilus Alexandrinus, *epist. 2 Paschali* : « Cibus, inquit, diaboli, negatores Dei sunt, Habæce lo-

(1) « Sacrificabit reti suo, » id est armis suis, proprie virtuti suas tribuit victorias ; nam per ista (rete et sagenam) pinguis (est) portio ejus, et cibus ejus adipatus, armis suis comparavit sibi conditionem lautam et opulentam. Hæmisticlio priore respiciunt antiquorum populorum arma deorum loco habendi morem, (Maurer.) Addit Romanellus, quod Chalæus dicitur sacrificare armis suis, eo rates, « insulam quandam, inquit Douglæus *Analect. S. Script.*, ad hunc locum, idololatricæ speciem in pagani videtur perstringere, qua arma ipsa bellica deorum vere habebant. » Ab origine rerum, inquit Justinus, lib. XLIII, cap. iii, pro diis immortalibus veteres hastas colere, ob ejus religionis memoriam adhuc deorum simulacris hastæ adduntur. De acinace vero, sive hasta persica Lucianus in *Tragœd.* : *Σελβα πῶν ἀκίνας βίβου :* *Scythæ nimirum acinaci sacrificant.* Idipsum tradit Arnobius lib. VI *Adversus Gentes* : « Videtis temporibus prisca acinacem coluisse Scythiæ nationes. » Ammianus Marcellinus, lib. XVII, cap. xii, *De Quæstis* : « Adepti veniam jussa fecerunt eductisque mucronibus, quos pro numinibus colunt, juravero se permanentes in fide. »

quente, Esæe ejus electe : cibus autem omnium impiorum execrabilis ipse diabolus, Propheta vaticinio concrepante : *Dedisti eum escam populis Æthiopiæ.* »

Nota : Cautè hic sub finem capituli legendus est An. Deu habet providentiam partem suam piscium) S. Hieronymus ; videtur enim negare Deum habere cognitionem et providentiam piscium, culicum et rerum minutarum ; qui est error manifestus : Deus enim curat et pascit passeret, lilia, forum, etc., uti ait Christus *Matth. vi. 29 et 30*, et *Matth. x. 29*. Quare ab eo purgandum est S. Hieronymus duplici titulo : priore, quod loquatur de cognitione non qualibet, sed ea duntaxat, quam Deus de novo, novis piscibus et culicibus nascentibus, acquirat, uti nos acquirimus. Hæc enim temporalis est ; unde non est in Deo : Deus enim ab æterno, simul et semel omnia futura cognovit. Posteriore, quod velit dicere Deum ex parte effectus non tantam habere providentiam et curam piscium, quantum habet hominum, quibus majora dat auxilia et beneficia, ac presertim majorem constituit custodiam angelorum : quisque enim homo habet angelum custodem, non autem quilibet piscis. Id velle S. Hieronymus colligitur ex ipsis ejus verbis, dum ait : « Caterum absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat (ut scilicet experiendo et numerando discat, quasi ante nescisset ; hoc enim dedecet ejus majestatem : nam aliqui omnis scientia æterna eum maxime decet, illicque est propria, aut potius, ut sciat, id est, ut scire curet et satagat, ut peculiari intuitu advertat, ut scientiam oculumque suum attentus et sollicitus iis affigat, sicut affigit homini) per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur, que cicutum, et pulicem, et muscarum in terra sit multitudo, quanti pisces in aqua nant, et qui de minoribus majorum præda cadere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium quam irrationabilium providentiam esse dicentes. Ex quo liber ille apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est quemdam angelum, nomine Tyri, præesse reptilibus ; et in hanc similitudinem piscibus quoque, et arboribus, et bestis universis proprios in custodiam angelos assignatos. » Ecce hoc est quod intendit S. Hieronymus, scilicet singulos pisces non habere angelos custodes, aliaque singularia Dei auxilia, que habent homines ; quo sensu dixit Apostolus I *Corinth. ix. 9* : « Numquid de bobus cura est Deo ? » Nam aliqui generalem Dei scientiam et providentiam se extendere ad pisces omnesque creaturas, etiam minutissimas, paulo ante diserte astruit S. Hieronymus, uti et in cap. x *S. Matth.*, explicans illud : *Nonne duo passeret esse venerunt, et unus ex illis non cecidit super terram sine Patre vestro ?* « Est sensus, inquit, si parva animalia et villa absque Deo auctore non decidunt,

et in omnibus est providentia, et que in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt ; vos qui æterni estis, non debetis timere quod absque Dei vivatis providentia. » Tantum ergo hic negat S. Hieronymus scientiam et providentiam muscarum et piscium in Deo de novo acquisitam, aut potius tam singularem quam habet de hominibus, quasi singulis momentis occupari debeat Deus in pervestigandis, curandis, alendis muscis et piscibus ; sicut pastor occupatur in lustrandis et pascentis suis ovibus. Hæc enim scientia et cura indigna est Deo ; perinde ac Domitiano imperatori indignum fuit occupari per horas integras numerandis et captandis muscis, neglectis rebus imperii. Unde proverbium : « Ne musca quidem, » teste Suetonio in ejus Vita. Sufficit enim ad hæc curanda generalis Dei providentia, conservando scilicet et continuando curam universi et nature, primitus ab eo institute ; ex eo enim sequitur culicum numerus et series.

VERB. 17. 17. PROPTER HOC ERGO EXPANDIT SAGENAM SUAM. — Chalæus : *Numquid* (hebraice enim est *he* interrogativum) *propterea mittit exercitus suos* (hi ergo sunt ejus sagena), *ut perpetuo consumat gentes, idque sine ulla misericordia ? q. d.* Omnino eos mittet ; ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Remigius, Albertus et Hugo. Aliiter Clarissimus, Vatablus et Arias, q. d. Numquid quia istas expilationes et victorias tribuit viribus suis, permittendus est a te, o Domine, pergere in hæc sua superbia, et expilatione ac strage gentium ? q. d. Minime : tempus est ut eum deprimas, coerceas et castiges.

Nota : Pro *expandit* hebraice est *ררר* *irare*, id est *evacuabit*. Solent enim piscatores retia piscibus plena evacuare, ac deinde ea rursus ad capturam expandere. Ita Nabuchodonosor unam urbem gentemque debellans, ejus opes evacuabat mittebatque Babylonem ; ac rursus aliam gentem suo exercitu invadebat, eandem simili modo evacuaturus et expiscaturus, id est expilator. Est ergo metalepsis : ex antecedenti enim intelligitur consequens, puta ex evacuatione expansio, ex spoliatione unius gentis invasio et spoliatio alterius.

Moraliter, discè : hæc quanta sit vis ambitionis et avaritiæ : hæc enim tyrannos in tot rapinas et

prælia impulit. Præclare Seneca, *epist. 94*, sub finem : « Agebat, ait, infelicem Alexandrum furor aliena devastandi, et ad ignota mittebat. An tu putas sanum, qui a Græciæ primam cladibus, in qua eruditus est, incipit ; qui quod cuique optimum est, eripit ? Lacedæmona servare jubet, Athenas tacere. Non contentus tot civitatum strage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, et alias alio loco projicit, et toto orbe arma circumfert : nec subsistit unquam lassæ crudelitatis ; immantum ferarum modo, que plus quam exitus fames, mordent. Jam in unum regnum multa regna coniecit ; jam Græci Perseque eundem timent ; jam etiam a Dario liberæ nationes jugum accipiunt. Idem tamen ultra Oceanum soleaque indignatur ab Herculis Liberi que vestigiis victoriam flectere ; ipsi nature vim parat. Non ille ire vult, sed non potest stare : non aliter quam in præcepis dejecta pondera, quibus eundi finis est, jactant. » Deinde ab Alexandro transit ad Pompeium, Cæsarem et Marium : « Nec Cæcio quidem Pompeio externa inire bella aut domestica, virtus aut ratio suadebat ; sed insanus ante magnitudinis falsæ, modo in Hispaniam et Sertorianæ arma, modo ad colligendos piratas, ac maria pacanda vadabat. Hæc pretereantur causæ, ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam ? quid in Septentrionem ? quid in Mithridatem et Armeniam, et omnes Asiæ angulos traxit ? infinita scilicet cupido crescendi, cum sibi uni parum magnus videretur. Quid C. Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit ? gloria et ambitio, et nullus supra cæteros eminendi modus. Unum ante se ferre non potuit, cum republica supra se duos ferret. Quid tu C. Marius semel consulens (num enim consulatum accepit, cæteros rapuit), cum Teutoncos Cimbroscos concideret, cum Jugurtham per Africæ deserta sequeretur, tot pericula putas appetisse, virtutis instinctu ? Marius exercitum, Marius ducebat ambitio. Isti cum omnia concuterent, concutebantur turbinum more, qui rapta convolvunt, sed ipsi ante volvuntur, et ob hæc majore impetu incurrunt, quia nullum illis sui regimen est. Ideoque cum multis fuerint mali, pesti eam illam vim, qua plerisque nocuerunt, ipsi quoque sentiant. Non est quod credas quantum fieri aliena infelicitate felicem. »